



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Practica Theologiae Mysticae

Gelen, Victor

Coloniae Agrippinae, 1652

Articulus Quartus. Meditatio tres habet partes substantiales, videlicet
praeparationem, Meditationem & Actionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9766

ARTICVLVS QVARTVS.

PRima pars dicitur Præparatio, & hæc fit lectione alicuius mysterij, aut piæ materiæ, vel etiam actuali renouatione memoriæ eorum, quæ alias legit, vel audiuit, eo fine, vt proximè hoc ipsum consideret, circumstantias, proprietates, & similia examinet; quo ita intellectus lumen aliquod, siue notitiam acquirat, in ordine ad voluntatem rectè mouendam. Est autem Præparatio duplex, scilicet proxima, quæ vt iam dictum peragitur, & remota, qua nimirum spiritualis Athleta timorato conamine, se ipsum in omnibus suis operibus veretur, ingenti cura, & sollicitudine, mortificationisq; exercitio, sensus suos, & præcordia contutatur, ne ab exteriorum tumultuosa multiplicitate, ad cadauca, mundanaue abripiatur; quæ præparatio magis certè, quam proxima illa est necessaria; quales enim in oratione, & meditatione esse volumus, tales nos esse extra orationem oportet. Præparatio ergo est accumulatio rei distribuendæ, & per singula meditandæ.

Secunda pars est ipsa Meditatio, quæ fit per auditionem, Lectionem, vel propriam conceptionem, dum indagatio, attenta cogitatione, & intimiori semper notitia, propositam materiam minuit, & quasi masticat; vt virtutes, mortificationes, & Dei gustum extrahat; affectuique seu voluntati conseruandum dein tradat; idque triplici modo, & differentia, vt habetur *a infra*.

Tertia pars est, quando intellectus tot

rationibus & beneficijs commotus, tot, tamque stupenda perstringens, ipsam voluntatem aggreditur, inducitque ad actus imitationis, mortificationis, & virtutis; producere insuper facit tanquam particulares operationes ipsius actionis, affectus oblationis, petitionis, gratiarum actionis, & huiusmodi plura, secundum dispositionem internam, & conditionem temporis, ac materiæ, similibusque accidentium, quæ apud incipientes facilè mutationem, ad amerosum, vel aridum successum operantur. Ipsam autem meditationem, quæ secundum has tres partes substantiales peragitur, etiam diuersimodè practitari, consequenter dicendum est,

Meditatio tribus potissimum peragitur modis.

ARTICVLVS QVINTVS.

QVamuis infinitæ propemodum instructiones, modi, & meditandi formulæ assignari soleant; multifariè tamen magis in ipsa praxi, quot sunt meditantium capita, tot quasi & procedendi sunt actiones; quæ nihilominus triplici potissimum differentia peraguntur. Primo, crassa, & imaginaria inhaesione, tanquam V. G. præsens quis intueretur anxietatem Christi Domini in hortu, præ agone nimio sanguineas sudantem guttas, audiretque Iudæ, & cohortis tumultuantes iras, accessus vincula, catenarum strepitus, & plura similia, quibus voluntas commoueri potest

D

ad

a Hic a. s.